



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Articvlvs Primvs. Vtrum amor sit proprium nomen Spiritus sancti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

quoniam eadem est realiter paternitati & filiationi, utramque complectitur: adeo ut nomine potentiae spiritalis comprehendatur essentia & relatio spirationis, cum relationibus paternitatis & filiationis ab ea praesuppositis, & eidem identificatis. Vnde ad argumentum dico, antecedens verum esse de virtute spiritali quo ad omne absolutum, quod in recto significat: non vero quoad omne relatum quod connotat siue significat in obliquo: sicut ait D. Th. q. 42. a. 5. ad 3. de potentia generandi eam scilicet esse communem tribus personis quantum ad essentiam, sed quantum ad notionem, quae connotatur, propriam esse patris. Et haec mihi videtur omnium optima resolutio.

Respon. 1.

Contra primam respons. est argum. Valen. supra confutatum. Contra eandem respons. argum. Rada. Primò: Quia distinctio inter personas diuinas, & pluralitas earum nec est ratio formalis principij creativi, nec conditio; ergo neque est conditio principij spiritali. Respond. nullam esse consequ. ob rationem superius assignatam: & praefertim quia Spiritus S. procedit ut nexus &c. Sed contra arguit Rada. Spiritus S. dicitur nexus patris & filij, quia necuntur in Spiritu S. sicut in communi producto: at creatura est commune productum; ergo etiam creatura dicitur nexus trium personarum, quod est absurdum: Primò; quia personae non necessario necuntur in creatura, quia liberè eam producant: Secundò; quia est res inferioris ordinis. Respond. Spiritum S. esse nexum, non quomodocunque, sed ut terminum dilectionis intrinsecum ipsa dilectione productum: quod de creatura dici non potest.

Solut.

Replic.

Sol.

Inf. 2.

Solut.

Secundò principalem responsionem sic arguit. Si pluralitas suppositorum est conditio necessaria ad spirandum, sequitur, quod pater non producit Spiritum S. Probatur sequela; quia pater non est plures personae sed una; ergo &c. Respond. nullam esse consequ. Ad probationem negatur sequela. Non enim sequitur patrem non producere, sed patrem solum sine filio non producere: quia pater simul cum filio coniunctus conditionem habet pluralitatis, quam neuter seorsum habet.

Alia eiusdem authoris argumenta ex dictis facilem habent solutionem, ex quibus etiam diluuntur, quae hic producant expolitores & solunt.

PRÆDICTAS esset addenda QUARTA CONTROVERSA de veritate propositionis: an scilicet haec propositio, Pater & filius sunt vnum principium Spiritus S. proprie & rigore sit vera? Sed quoniam hic eam perspicue & eruditè versant & definiunt expolitores, ac praefertim Zum. disp. 1. idcirco laborem nostrum in ea diligentius examinanda superuacaneum existimamus.

Summ.

Molina.

Differunt hic Zum. disp. 3. & Molina disp. 3. & 4. de regulis obseruandis circa nomina diuina abstracta & concreta, adiectiua & substantiua, absoluta & respectiua. Sed huius quaestionis propria sedes est in q. 39. art. 4. & 5.

Vide quae scribit Cai. circa responsiones ad argumenta D. Tho.

Circa respons. ad 4. argum. ubi S. Tho. negat hanc propositionem, Pater & filius sunt vnum principium, quod est pater; quoniam ut inquit Bannes, fumendo relatum illud, quod, restrictiue est falsa propositio, quamuis copulatiue sit vera: censet Mol. simpliciter esse concedendam; quoniam (inquit) relatum quod, cum sit neutrum, refert principium subsistens commune patri & filio, nempe spiratorem; spirator autem

Mol. diffam
respon. itur.

A est principium quod est pater & filius: Sicut vnus Deus est pater & filius. Sed hoc argumento non probatur nisi veritas sensus copulatiui. Cum itaque propositio sit ambigua, non est simpliciter admittenda.

QVAESTIO XXXVII.

De nomine Spiritus S. qui est amor, in duos articulos diuisa.

Deinde quaeritur de nomine amoris. Et circa hoc quaeruntur duo.

Primò, Vtrum sit proprium nomen Spiritus sancti.

Secundò, Vtrum pater, & filius diligant se Spiritu sancto.

Ratio ordinis.

IN EXORDIO quaestionis praecedentis reddita est ratio ordinis trium quaestionum de Spiritu S. quarum haec est secunda, quae duos habet articulos. In quorum primo quaeritur quid nominis, & simul etiam quid rei Spiritus S. quatenus ut amor concipitur, & amoris vocabulo significatur. In secundo quaeritur denominatio ex eodem Spiritu S. quatenus amor est, ad patrem & ad filium deriuata, & hac propositione significata; Pater & filius diligunt se Spiritu sancto.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum amor sit proprium nomen Spiritus sancti.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quod amor non sit proprium nomen Spiritus sancti. Dicit enim August. lib. 15. de Trin. Nescio cur sicut sapientia dicitur & pater, & filius, & Spiritus sanctus, & simul omnes, non tres, sed vna sapientia, non ita & charitas. Et verum quod dicitur pater, & filius, & Spiritus sanctus, & simul omnes vna charitas. Sed nullum nomen, quod de singulis personis predicatur, & de omnibus in communem singulariter, est nomen proprium alicuius personae. Ergo hoc nomen, amor, non est proprium Spiritus sancti.

2. Praeterea, Spiritus sanctus est persona subsistens: sed amor non significatur ut persona subsistens: sed ut actio quadam ab amante transiens in amatum. Ergo amor non est proprium nomen Spiritus sancti.

3. Praeterea, Amor est nexus amantium, quia secundum Dion. 4. c. de diu. nom. est quadam vis unitiua: sed nexus est medium inter ea, quae connectit, non autem aliquid ab eis procedens. Cum igitur Spiritus sanctus procedat à patre, & filio (sicut ostensum est) videtur, quod non sit amor, aut nexus patris, & filij.

4. Praeterea, Cuiuslibet amantis est aliquis amor: sed Spiritus sanctus est amans. Ergo eius est aliquis amor. Si igitur Spiritus sanctus est amor, erit amor amoris, & Spiritus à spiritu. Quod est inconueniens.

Sed contra est, quod Gregor. dicit in 8. Hom. Pentec. Ipse Spiritus S. est amor.

Respond. Dicendum, quod nomen amoris in diuinitatibus sumi potest essentialiter, & personaliter. Et secundum quod personaliter sumitur, est proprium nomen Spiritus sancti, sicut verbum est proprium nomen filij.

filij.

filij. Ad cuius evidentiam sciendum est, quod cum A
in diuinis, ut supra ostensum* est, sint dua proces-
siones, una per modum intellectus, quae est proces-
sio verbi: alia per modum voluntatis, quae est processio
amoris, quia prima est nobis magis nota, ad singula si-
gnificanda, quae in ea considerari possunt, sunt magis
propria nomina adinuenta, non autem in proces-
sione voluntatis. Vnde & quibusdam circumlocu-
tionibus vimur ad significandam personam pro-
cedentem, & relationes etiam, quae accipiuntur se-
cundum hanc processionem, & processionis, & spiri-
tionalis nominibus nominantur, ut supra dictum*
est, quae tamen sunt magis nomina originis, quam re-
lationis secundum proprietatem vocabuli. Et tamen
similiter secundum viramque processionem considera-
ri oportet. Sicut enim ex hoc, quod aliquis rem aliquam
intelligit, provenit quaedam intellectualis conce-
ptio rei intellecta in intelligente, quae dicitur ver-
bum: ita ex hoc, quod aliquis rem aliquam amat, pro-
venit & quaedam impressio (ut ita loquar) rei amatae
in affectu amante, secundum quam amatum dicitur
esse in amante, sicut & intellectum in intelligente:
ita quod cum aliquis seipsum intelligit, & amat,
est in seipso, non solum per identitatem rei: sed et-
iam ut intellectum in intelligente, & amatum in a-
mante. Sed ex parte intellectus sunt vocabula adin-
venta ad significandum respectum intelligentis ad rem
intellectam, ut patet in hoc, quod dico intelligere. Et
sunt etiam alia vocabula adinventa ad significan-
dum processum intellectualis conceptionis, scilicet
ipsum dicere, & verbum. Vnde in diuinis intelligere
solum essentialiter dicitur, quia non importat habi-
tudinem ad verbum procedens: sed verbum persona-
liter dicitur, quia significat id, quod procedit. Ip-
sum verò dicere, dicitur notionaliter, quia impor-
tat habitudinem principij verbi ad verbum ipsum.
Ex parte autem voluntatis praeter diligere, & amare,
quae important habitudinem amante ad rem ama-
tam, non sunt aliqua vocabula imposita, quae im-
portent habitudinem ipsius impressionis, vel affectio-
nis rei amatae, quae provenit in amante ex hoc, quod a-
mat, ad suum principium, aut e converso. Et ideo,
propter vocabulorum inopiam, huiusmodi habitudines
significamus vocabulis amoris, & dilectionis: sicut
si verbum nominaremus intelligentiam conceptam,
vel sapientiam gentiam. Sic igitur, inquantum in a-
more vel dilectione non importatur nisi habitudo a-
mantis ad rem amatam, amor & diligere essentiali-
ter dicuntur, sicut intelligentia, & intelligere: inquan-
tum verò his vocabulis vimur ad exprimendam habi-
tudinem eius rei, quae procedit per modum amoris, ad
suum principium, & e converso, ita quod per amorem
intelligatur amor procedens, & per diligere intelliga-
tur spirare amorem procedentem, sic amor est nomen
persona, & diligere vel amare est verbum notionale,
sicut dicere vel generare.

Ad Primum ergo dicendum, quod August. loquitur
de charitate, secundum quod essentialiter sumitur in
diuinis, ut dictum* est.

Ad Secundum dicendum, quod intelligere, & vel-
le, & amare, licet significantur per modum actionum
transcendentium in obiecta, sunt tamen actiones manen-
tes in agentibus (ut supra dictum* est) ita tamen
quod in ipso agente important habitudinem quan-
dam ad obiectum. Vnde amor etiam in nobis est al-
iquid manens in amante, & verbum cordis manens
in dicente, tamen cum habitudine ad rem, verbo ex-
pressam vel amatam. Sed in Deo in quo nullum est
accidens, plus habet, quia iam verbum, quam a-
mor est subsistens. Cum ergo dicitur, quod Spiritus
sanctus est amor patris in filium, vel in quicumque a-
liud, non significatur aliquid transiens in alium: sed
solum habitudo amoris ad rem amatam: sicut & in

verbo importatur habitudo verbi ad rem verbo ex-
pressam.

Ad Tertium dicendum, quod Spiritus S. dicitur esse
nexus patris, & filij, inquantum est amor, quia cum pa-
ter amet unice dilectione se, & filium, & e converso,
importatur in Spiritu sancto (prout est amor) ha-
bitudo patris ad filium, & e converso, ut amante ad
amatam. Sed ex hoc ipso, quod pater, & filius se mu-
tuo amant, oportet, quod mutus amor, qui est Spiritus
sanctus, ab utroque procedat. Secundum igitur ori-
ginem Spiritus sanctus non est medius, sed tertia in
trinitate persona. Secundum verò praedictam habitu-
dinem, est medius nexus duorum ab utroque proce-
dens.

Ad Quartum dicendum, quod sicut filio licet in-
telligat, non tamen sibi competit producere verbum,
quia intelligere convenit ei ut verbo procedenti: ita
licet Spiritus sanctus amet, essentialiter accipiendo,
non tamen convenit ei, quod spiraret amorem, quod
est diligere notionaliter sumptum, quia sic diligit ef-
fentialiter ut amor procedens, non ut à quo procedit
amor.

Sensus quaestio.

PROPOSITUM hic quaestio de solo nomine:
cum tamen in textu diligenter explicetur et-
iam propria ratio Spiritus S. quatenus amor est.
Cuius ratio est: quia S. D. in hac Theologica
summa brevitati studens sub vno quaesito sapè
multa comprehendit. Vnde sub hoc titulo tria
resolvuntur quaestiones ad rei quidditatem pertinē-
tia, quae distincta fuerant articulatum in 1. sent.
dist. 10. Primum est: an Spiritus S. procedat ut amor?
Secundum est: an Spiritus S. sit amor, quem habet
pater in filium? Tertium est: an Spiritus S. sit vnio
patris & filij? Ratio verò logica est ex Caetano
de ente & essentiali in fine prologi, & primo post. cap.
1. quia quid nominis idem est quod quidditas
nominis, quae in ratione relatiua posita est signi
ad signatum. Quapropter scire quid nominis,
est scire nominis relationem ad rem aliquam ut
signi ad signatum: quae multipliciter potest co-
gnosci, videlicet per communia, per accidentia,
per essentialia, per nutus &c. Vnde, ut Cai.
aduertit in primo posteriorum, coincidunt quan-
doque materialiter quid nominis & quid rei: ut
cum ad quid nominis responderetur per essen-
tialia propria: quo fit ut diffinitio quidditatiua
nonnunquam habeat rationem quid nominis
& non quid rei. Sic igitur in proposito quaeritur
de nomine Spiritus sancti, qui est amor & osten-
ditur per propria & quidditatiua ratio amo-
ris, quae constituitur in suo esse personali Spi-
ritus S. & distinguitur non solum ab amore essen-
tiali, sed etiam à qualibet alia diuina persona.
Est igitur quaestio forma de nomine, sed inten-
tio querendi praecipue est de re, siue ratione
formali Spiritus sancti quatenus amor est. Cae-
terorum verò terminorum explicatio ex alijs
consimilibus titulis est petenda, ut hic indicat
Cai.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur ad
quaesitum vnica conclusione.
Distinctio est. Nomen amoris dupliciter sumi
potest in diuinis, scilicet essentialiter & perso-
naliter.

CONCLUSIO est. Nomen amoris, secundum
quod personaliter sumitur, est proprium nomen
Spiritus sancti, sicut verbum est proprium nomen
filij. Probatur ex conuenientia & diffe-
rentia duarum processionum quae sunt in diui-

nis: quarum vna est per modum intellectus, quæ A
est processio verbi: alia per modum voluntatis,
quæ est processio amoris; in hoc enim ambæ
conueniunt, quod sicut ex hoc quod aliquis
rem aliquam intelligit, provenit quædam ac-
tualis conceptio rei intellectæ in intelligen-
te, quæ dicitur verbum: ita ex hoc quod
aliquis rem aliquam amat, provenit quædam
impresio (vt ita loquar) rei amate in affe-
ctu amantis, secundum quam amatum dicitur
esse in amante: sicut & intellectum in intel-
ligente; adeo vt cum aliquis seipsum intel-
ligit & amat, sit in seipso non solum per i-
dentitatem rei, sed etiam vt intellectum in in-
telligente, & vt amatum in amante. Dif-
ferunt autem; quoniam habemus nomina
propria à maioribus adinuenta ad ea singu-
la significanda, quæ in processione secundum
modum intellectus considerari possunt: non
autem ad ea, quæ sunt in processione volunta-
tis. Probatur primò à priori hæc differentia;
quia illa quæ est secundum intellectum, est
nobis magis nota quam hæc quæ est secun-
dum voluntatem. Deinde manifestatur in
particulari, quo ad singula, quæ sunt in vtra-
que processione. Hæc verò sunt tria in intel-
lectu & totidem in voluntate: Primum in
intellectu est respectus intellectus ad rem intel-
lectam, qui significatur per intelligere: Secun-
dum est habitudo principij verbi ad ipsum ver-
bum, siue processus intellectualis conceptionis,
qui significatur per dicere: Tertium est id quod
procedit, siue relatio procedentis per intelle-
ctum ad principium à quo procedit scilicet ad
dicentem, quæ significatur nomine verbi. Ex
quo sequitur, vt intelligere dicatur tantum
essentialiter, quia non importat habitudinem
ad verbum procedens: verbum autem persona-
liter, quia significat id quod procedit: dicere
verò notionaliter, quia importat habitudinem
principij ad verbum ipsum. In voluntate verò
primum est habitudo amantis ad rem amatam,
quæ significatur per diligere & amare siue etiam
per hoc nomen amor & dilectio: Secundum est
habitudo principij ad rem per actum volunta-
tis procedentem, quæ eisdem vocabulis signifi-
catur: Tertium est habitudo eius rei quæ pro-
cedit per modum amoris ad suum principium,
quæ eisdem etiam vocibus significatur. Ex
quo sequitur vt nomina amoris dilectionis
& diligere, quatenus non important nisi habitu-
dinem amantis ad rem amatam, dicantur essen-
tialiter sicut intelligentia & intelligere: quate-
nus verò eisdem vocabulis vtimur ad expri-
mendam habitudinem principij ad rem quæ
procedit; scilicet ad affectionem & impresio-
nem, diligere vel amare est verbum notionale,
sicut dicere vel generare: & sic diligere idem
est quod spirare amorem procedentem; quate-
nus autem eisdem vocibus vtimur ad signifi-
candam habitudinem rei procedentis per mo-
dum amoris ad suum principium, amor & reli-
qua sunt nomina personalia.

Expositio Textus.

DISTINCTIO amoris in essentialem & per-
sonalem desumpta est ex D. Aug. lib. 15. de
Trinitate, cap. 17. & 18. vbi pluribus sacrarum
litterarum productis oraculis probat amorem
siue charitatem non essentialiter tantum, sed
personaliter etiam quandoque dici. Ex quibus
vnum est illud 1. Ioan. 4. *Charissimi diligamus nos
inuiem, quia charitas ex Deo est: & omnis qui dili-*

git, ex Deo natus est, & cognoscit Deum: qui non dili-
git, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est.
Ait ergo D. Augustin. charitatem in priori parte
verborum sumi personaliter, in posteriori ve-
rò essentialiter. Quod verò in priori loco sit
personaliter accipiendum nomen charitatis pro-
bat per alia verba eiusdem ca. videlicet: *In hoc co-
gnoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis,
quoniam de spiritu suo dedit nobis.* Aduertit ta-
men Zumellus prædictum locum non mul-
tum vrgere pro charitate personali: eò quod ibi
loquatur Apostolus de charitate creata, quæ dif-
funditur in cordibus nostris: quem sensum et-
iam accepit Concilium Mileuit. can. 4. Immo Au-
gust. ipse lib. 1. de gratia Christi, c. 21. vt notat Suar.
lib. 11. de Trinit. cap. 1. num. 4. Et ideò locum illum
affirmat intelligendum esse de sola charitate,
quam Deus nobis infundit vt diligamus inui-
cem: sequens in hoc Valent. & Valq. Ratio verò
eius est; quia præmittit Ioannes, dicens: *Charis-
simi diligamus inuiem:* cum igitur subdit, *quia cha-
ritas ex Deo est,* indicat se loqui de ea charitate
qua nos inuicem diligimus, quæ est charitas crea-
ta. Verum sustineri facile potest sensus do-
ctiss. Patris August. si duo ab omnibus Theolo-
gis & Catholicis necessariò tenenda suppona-
mus. Primum est. In eadem diuinæ Scripturæ lit-
tera plures esse posse sensus litterales, quod ostē-
dit supra D. Th. q. 1. a. 10. Secundum in infusione
charitatis & donorum Spiritus S. non solum do-
nari nobis à Deo qualitatem & à nobis haberi;
sed & personam ipsam Spiritus S. nobis à Deo
dari, & à nobis haberi, vt affirmat & probat idē
S. D. infra q. 43. a. 3. vbi sic ait: *In ipso dono gratia
gratum facientis Spiritus S. habetur, & inhabitat ho-
minem: vnde ipsemet Spiritus S. datur & mittitur.*
Hæc ibi. Ex primo supposito sequitur illationē
illam argumenti Valentis, quem alij sequuntur
interpretes, nullam esse, videlicet: Concilium Mi-
leuitan. & August. ipse alibi nomine charitatis
in allegato loco sacræ Scripturæ charitatē crea-
tam intelligunt; ergo non potest intelligi de cha-
ritate increata personaliter dicta. Falsa est enim
hæc consequentia; quoniam de vtraque intelligi
commode potest & debet; primò, quia duplex i-
bi potest esse sensus iam dictus, nec vnus alteri re-
pugnat; secundò quoniam hoc ipso quod nobis
à Deo infundi charitas affirmatur, dari simul in-
telligitur in ea Spiritus S. igitur vtrumque sen-
sum vt minimè dissonantem; sed maximè conue-
niētem sub vno litteræ cortice Deus intendit, &
Aug. expressit: quamuis alterum Mileuit. Syno-
dus vt instituto suo minimè necessariam præter-
ierit.

Sed Durandus in 1. dist. 32. qu. 1. negat nomen a- Opinio Du-
moris in Deo, propriè dici personaliter aut no- randi &
tionaliter. Quam sententiam sequutus Aur. cu- Aureoli.
ius argumenta refert & soluit Capr. in 1. dist. 32. q.
1. a. 1. Quam difficultatem hic versat & definit Zu-
mel. In quo tamen cauendum est vnum quod ait
nimirum amorem productum esse ipsum actum
essentialē, vt coniunctum paternitati & filia-
tioni: quod manifestè falsum est; cum Spiritus S.
qui est amor productus, non sit coniunctus se-
cundum realem identitatem paternitati & filia-
tioni, sicut eisdem relationibus coniungitur a-
mor essentialis. Vide etiam id, quod de eadem
distinctione scribit hic Caiet. & argumenta, quæ
proponit & soluit Val. super hoc a. vbi ad-
uerte illum admittere duos amo-
res virtualiter in Deo di-
stinctos contra
Cai.